193

191

197

187

202

182

242

142

092

Ende

Anfang

An.C. Ipsas Calendas Martias observat aliqui Ecclesiastici
I. Latinorum; quia in eorum computis hic est crebrò mensis Paschalis, recipiens hodie potiorem partem mensis Nisan Judaici. Eos in hoc sequuntur urbes nonnullæ per Italiam. Idem est anni caput in Cyclo Solis, harum Tabularum, quando Mensis dies populariter numeramus, progredientes in Februario bissextili usque ad 29.

Æquinoctii verni tempestatem pro capite anni hujus æræ habent Veneti, Florentini, Pisani, aliæque nonnullæ Resp. Italiæ, teste Luca Gaurico; Germani sub Carolo Magno, Historici ejus ævi plerique, Treveri hodieque: Joh. de Barros Historicus Lusitanus, ante 100. annos.

VIII. Cal. Apriles, Festum Annunciationis, hoc est, Incarnationis. Caput anni statuerunt Ecclesiastici veteres, & more ab iis transsumpto etiam Reges & Resp. Christianæ. Itaque secundùm Cyclum Dionysij exigui, unde hæc æra est nata, hoc demum die currentis anni primi, Christus conceptus esset in utero B. V.

Cal. Apriles, pro anni principio habentur à Clementinis, Anastasio Antiocheno, Gregorio Turonensi, &c. His enim Martius seu Αὔριος habetur mensium 12mus, Aprilis 1mus; quia Nisan Judæis 1mus crebrò cum eo concurrebat olim.

Paschatis Festum mobile, est Caput anni Galliis ante annum 1564. Angliæ, Florentiæ, Romæ in Consistorio Cardinalium & ecclesiasticis, teste Thuano. Hinc anni isti nonnullis veterum, à Passio-
An. Chr. ne Domini, denominantur, titulo ambiguo.

28. Octobri, incipit Cyclus Paschalis Victoris Capuani & Victorini Aquitani. Ab hujus Cycli initio defluentes Anni, usurpantur à nonnullis pro Æra, titulo Gratiæ, scil. à Joanne prædicatæ; vel etiam titulo, à Passione, qvis ea verè fuerit posterior.

222. Cal. Jan. incunt Hekkædecaëterides Hippolyti.

284. IV. Cal. Sept. initio anni Ægyptiaci fixi, incunt Cycli Paschales Dionysij Alexandrini; incunt & Anni Diocletianei; dicti Æra Martyrum, Æra Abyssinorum, Habassenorum, Æra Elkupti, etiamque anni Gratiæ. Hac æra usus est omnis orbis Romanus, loco signationis per Consules, usque ad Justiniani tempora. Scal. Sed

Ipsarum Cal. Septembrium vicinitate illectæ Ecclesiæ posteriorum temporum, Constantinopolitana & Antiochena, cùm hanc triduanam anticipationem Mensium Julianorum priscam malè concoquerent; Caput annorum suorum, ut in prima æra dictum, in ipsis Calendis Septembribus Romanis statuere ceperunt; intercalantq; Februario, ut Romani; relinquentes Ægypto suum & principium mensium, & intercalationem.

Hunc etiam morem secutus esse videtur Joannes Parisiensis, in translatione Tabularum Astronomicarum HUMEN Ægyptij, de quibus supra; dum scribit, *factas fuisse Tabulas ad Meridiem civitatis Antiochiæ, quatuor mensibus ante annum Christi 1143.* id est, Calend. Septemb. anni 1142.

285. Cal. Apriles, mensis Paschalis, Alexandrinæ Ecclesiæ pro capite æræ Dioclet. seu Martyrum placuit.

312. VII. Cal. Octob. initium habetur INDICTIONUM Constantini, usque hodie, in Curiis Imperatorum. Sed Græci Imperatores, & Ecclesiastici Constantinopolitani, eas à Cal. Sept. anni sui Capite inchoant; cum iis Cedrenus, Evan-
Anno gelium Arabicum, quod pro Indictione scribit
Christi Tarik. Romana contrà Ecclesia, & Pontifices à Cal. Jan. sequentis 313. Indictiones incipiunt: Ignatius Patriarcha Antiochenus, à Cal. Maij, seu Artemisij, anni 313.

552. III. Idus Augusti, init Æra Armenorum: Menses sunt Persici, sed fixi, intercalatio merè Romana.

622. 16. Julij, Feria VI. Annorum Hegiræ Lunarium repedantium initium, qua utuntur Mahumedani, Arabes, Turcæ.

632. 16 Junij, Anni Jesdagirdis Persæ, modulo Ægyptiaco, vagi & repedantes. incunt.

Hæ sunt igitur æræ usuales, hoc est, & publicæ & diuturnæ. Sunt aliæ æræ vel non diuturnæ, vel non publicæ, sed privatæ saltem historicorum singulorum; aut urbium non imperantium, & sic non usuales vulgò: quas enumerare infinitum esset.

Primùm de annis mundi, apud historicos singulos, ferè singulæ opiniones sunt, quas lector requirat apud ipsos. Latini tamen ferè numerant ad Christum 5199. Recentiores 1200. & amplius minus numerant, variè tamen. Quos ego propiùs secutus, ante æram hodiernam anno 3993. 24. Augusti, mediâ tunc æstate, situm Planetarum invenio, initiali convenientem.

Deinde Alphonsinæ æram diluvij deducunt ab Anno ante Ch. 3102; Ego ab anno 2337. Babylon urbs ab ortu suo, quem habuit 104. annis post diluvium, anno ante æram Inc. 2233. ad deditionem Alexandro factam, numeravit 1903. ante Chr. 330. incipiente. Annos promissionis numerant Moses & D. Paulus & Eusebius ab 1941. ante Incarn. mihi 1965. Ab exitu ex Ægypto, mihi ante Chr. 1535, numeratum fuit in deserto. Inde Libri Regum ad Templum fundatum, habent 480: at summam hanc auget D. Paulus. Ab occupata Peræa numerat Jephtas ad se 300. Ego 302. vel 303.

A divisione Terræ, mihi ante Chr. 1489. consurgunt Jubilæi & Sabbathici, quos retinent Samaritani.

A fundato Templo, mihi ante Chr. 999. an fuerit numeratum publicè, incompertum est. At ab expugnatione arcis Sion, & sede Regni Hierosolymis constitutâ, Ezechielem suos 390. numerare, demonstro, usque ad prædicationem Jeremiæ; reliquosq; 40. ad regnum urbemq; destructa, mihi ante Ch. 606; quem primum captivitatis habuerunt: à quo 70mo, annus fuit Reditus, an. C. 537.

Annos excidij Trojæ, reditus Heraclidarum, reliquorumq; insignium casuum, de quibus Eratosthenis Canones, vide apud Chronologos.

Præterea annos ætatis suæ primus hominum numeravit necessariò: quem imitati sunt cæteri. Itaq; Anno 600. vitæ Noæ, refert Moses Diluvium. Hoc imitati sunt pleræq; gentes, in numerandis annis suorum Antistitum, Judicũ, Regum, Impp. Ubi notandum, non posse doceri, anni Judæorum, undecunq; denominati, aliud fuisse initium post Exitum, quàm mensem novarum frugum. Itaq; crebrò occurrit annus idem ultimus decessoris, & primus successoris.

At hodie Imperia censentur ab initialibus diebus propriis, ut & eventus cæteri. Sic æram Alphonsi ordiuntur à 1. Junij, an. Inc. 1252. Sic anno 1582. 15. 5. Octobr. incunt anni Correctionis Gregorianæ. Deniq; anno 1619. 28. 18. Augusti, incipiunt anni Imperij FERDINANDI II. R. I. Aug. C.V.S.V.

TABULA Re-

© Stadtbibliothek Ulm, 2018. Signatur: MNV 596;